Caput III.

De codicis Parisini indole.

Postquam igitur iam eo adducta est disputatio, ut de cuiusque tum generis tum libri indole atque auctoritate quaeratur, initium faciamus ab eo libro, quem cum nullo alio familiae societate coniunctum esse diximus, codice Parisino; de quo diversa sunt virorum doctorum iudicia. Quum enim Hauptius p. 118. eum nulli libro cedere iudicasset, virosque doctos quod eius fidei non plus tribuissent miratus esset, Ahrensius p. 5. vix ullo loco, ubi ceteri corrupti, hunc codicem bonam lectionem praebere, saepe insulsi grammatici vestigia habere pronuntiavit. Utraque sententia veri aliquid continet et quo defendatur habet. Sunt enim sane quaedam exempla, quae importunam correctoris sedulitatem arguant, nec tamen deficiunt eiusmodi lectiones, quae reliquorum librorum scripturis longe praeferendae videantur. Emendatricem autem manum facile in his locis agnoscas: v. 8. —*ἄνορος* pro accusativo, quod qui scripsit, hoc epitheton videtur cum *Αἰγύπτου* coniungendum putavisse. v. 90. *δὲ ἐπιδὼν*. 388. *ὕπαντρον*, etenim spelunca quaedam tutius perfugium praebere videbatur, quam astra. 423. *μήτι τ' ἀίσταν ἱκέτιν κατιδεῖν*. 500. *τί θράσος*, in quo antequam mihi de P. correctionibus constaret, *πῇ θράσος* latere suspicabar, cuius glossema esset *ποῦ θράσος*. 713. *σὺν*. 763. *ἀμπετάσας δὲ*, hoc scilicet graecum saltem vocabulum est. 779. *ἀρτάναις* pro *σαργάναις*, quanquam utrumque bonum est. Cf. Etym. M. 150. l. 2. et 708. l. 23. Sed *ἀρτάναις* est usitatius vocabulum, quo Aeschylus etiam aliis locis usus est: v. 151. Ag. 849. 1062. v. 884. *ἐπεὶ οἱ κακοῦ ἔξω*, sunt nempe Graeca vocabula. 1027. *θαλερὸν*, quod explicationis caussa ab eo scriptum videtur, qui *θελεμὸν* a *θάλλειν* derivaret. Ad idem genus non dubito referre v. 245. *ἑρμοῦ*, quod vereor ne Hauptius iusto cupidius arripuerit.

Hactenus Ahrensio assentimur; sed tamen is in universum de hoc libro iniquius iudicasse videtur Hauptiique sententiam veriorem puto, qui quidem bonis illius libri lectionibus uti nescivit. Nam hunc ex meliore fonte quam reliquos derivatum esse primum ex eo intelligitur, quod solus v. 740. habet. Deinde autem aliquot scripturas continet, quae aut ipsae reliquis libris corruptis veram Aeschyli manum referunt, aut certe ad id quod poeta scripserit inveniendum viam aperiunt. Huius generis scripturam ad v. 850. pertinentem Faehse ex hoc libro enotavit; quo loco quum in reliquis libris *εὐρείαις εἰν αὔραις* legatur, quod et metro adversatur et propter *εἰν* formam Aeschylo non usitatam suspectum est, P. *εὐρυχωρείαις* praebet, monstrum quidem vocabuli, sed egregiam scripturam et ad verum eruendum utilissimam. Scripserat enim poeta *εὐρυχόροις ἐν αὔραις*, cuius explicatio est

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illud, quod nunc ex ceteris libris vulgatur. Iam vero aliquis, cui duorum codicum copia facta erat, in quorum altero εὐρυχόροις exstabat, in altero εὐρείαις, haec scribendi genera ita in suo quem scribebat libro videtur significavisse, ut εὐρυχόροις εἰαις daret. Quae scribendi forma postea sic immutata est, ut, quae supra lineam scripta erant, οις litteras suo loco moverent et illud fere evaderet, quod est in P. Hanc suspicionem ne quis propterea reiiciat, quod ibi εὐρυχωρείαις, non εὐρυχορείαις legitur, illud breviter moneo, veterum grammaticorum plerosque εὐρύχορος a χώρα derivasse ideoque etiam εὐρύχωρος scripsisse, quam ipsam formam olim in Aeschyleo aliquo codice exstitisse consentaneum est. Haec si vere a nobis disputata sunt, intelligitur sine illo libro nunquam futurum fuisse, ut huius versus integritas restitueretur; id quod iam contigisse nobis speramus. Nam non solum loquendi genus Aeschylia grandiloquentia dignissimum habemus, sed etiam metricis rationibus prospectum erit, si antistrophicos versus paullo aliter atque fieri solet distribueris. Versibus enim

Χῶμα πολυψάμαθον ἀλαθεὶς
Εὐρυχόροις ἐν αὔραις,

respondent hi 857. 8.

Νεῖλος ὑβρίζοντά σ' ἀποτρέ-
ψειεν ἄϊστον ὕβριν.

Quid alii in huius versus emendatione infeliciter tentaverint quum longum sit referre, illud tantum commemorabo, quod Fixius in nova Thesauri Stephaniani editione s. v. ἄϊστος (Tom. I. p. 1070.) de h. l. scripsit. „Aesch. Suppl. 850. ita fort. leg. numeris Ionicis: *Ὁ μέγας Νεῖλος ὑβρίζοντά σ' ἀποστρέψειεν αἴστον* (sic!) *ὕβριν*, Te Nilus avertat saevientem inaudita iniuria: et catalectico versu in antistr.: *Εὐρίαις ἐν αὔραις* (ab *Εὖρος*)." Ex his nihil probo nisi *ἀποστρέψειεν*, quod mihi quoque fere necessarium videtur. Reliqua cur admitti nequeant, haud difficile est ad intelligendum est. Ceterum numerorum naturam recte videtur vir doctus perspexisse. Si cui v. 849. soluta altera Ionici arsis offensioni sit, poterit is facile *πολύψαμμον* reponere.

Praeterea aliquot locis haec fabula ex illo libro solo emendata est, aliis emendanda. Sic. v. 1021. *δὲ* praebet, quum reliqui *δ' αἱ* habeant, v. 1023. *πειθοῖ* pro *πιθοῖ* vel *πυθοῖ*. Etiam v. 317. *ἀφθόνῳ* ex hoc libro in Rob. venisse videri potest, unde recte Wellauerus recepit. Exempla autem, quae nondum emendata habemus et quae ex P. corrigenda dixi, haec sunt.

V. 363. 4. vulgo sic leguntur:

Ἐγὼ δ' ἂν οὐ κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν πάρος,
Ἀστῶν δὲ πᾶσι τοῖςδε κοινώσας πέρι.

In quo loco Wellauerus hoc quidem recte sensit, vocabulorum *ἀστῶν* et *τοῖςδε* terminationes ita inter se esse confusas, ut legendum sit *ἀστοῖς* et *τῶνδε*. Sed ea emendatione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non omnis horum versuum difficultas tollitur; relinquitur enim incultum impeditumque loquendi genus, si δὲ pro ἀλλὰ accipere et ad κοινώσας participium κραίνοιμ' ἂν cogitatione repetere cogimur. Quod quam durum sit Aeschyloque indignum, nemo non perspiciet. Quare commodissime fit, ut codex P. κοινῶσαι (M. κοινώσα) praebeat; quo in verborum contextum recepto aliaque leni admissa mutatione haec scriptura admodum probabilis existit:

Ἐγὼ δ' ἂν οὐ κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν, πάρος
ἀστοῖσι πᾶσι τῶνδε κοινῶσαι πέρι.

Minore etiam mutatione scripseris ἀστοῖς ἅπασι, ita ut δὲ ex littera initiali ἅπασι vocabuli natum esse videatur. Similiter supra v. 439. ἐμπλήσας in ἐμπλῆσαι emendavimus; idemque vitium contraxisse videtur v. 318:

εἰδὼς δ' ἀμὸν ἀρχαῖον γένος
πράσσοις ἂν, ὡς Ἀργεῖον ἀνστήσας στόλον,

ubi non intelligo participium aoristi, neque eius explicationem a Wellauero propositam. Quare nescio an ἀνστῆσαι reponendum sit. Ferri non posse ἀνστῆσας sensit etiam is, qui codicem Robortellianum scripsit, qui quidem minus probabiliter ἀνστήσῃς emendavit.

Redeo ad cod. P.; ex quo quod v. 771. Faehsius affert τῷδε χριμφθῆναι, eo minus dubito quin verum sit, quum etiam M. et R. non τῷδ' ἐγχριμφθ., sed τῷδ' ἐχριμφθ. habeant, in quo nihil vitiosum est praeter perversam litterarum in vocabula distributionem. Ex qua scribendi ratione apparet origo vulgatae scripturae τῷδ' ἐγχρ., quae in G. et A. reperitur, unde a Turnebo recepta in posteriores editiones transiit. Ceterum probabile est ex hoc versu petitum esse, quod Hesychius habet χριμφθῆναι, ἐμπελασθῆναι. Praeterea alio vitio hic locus laborat foediore etiam; nam quid tandem sibi vult τῷδε, quid χεροῖν? Hoc vocabulum P. omittit teste Faehsio, quum in Med. χροῖν inveniatur, in quo χροῖ latet. Hac lenissima mutatione omnis difficultas removetur, ut iure mireris neminem hoc invenisse, quamquam multis τῷδε — χεροῖν offensioni fuit. Alii enim ὧδε, alii τᾷδε, alii τοῖνδε coniecerunt, alii χεροῖν omiserunt. Vide Ahrensium p. 31. Iam hoc versu cum antecedente in unum trimetrum iambicum coniuncto sic scribe: πρὶν ἄνδρ' ἀπευκτὸν τῷδε χριμφθῆναι χροΐ. „Moriar, antequam vir abominandus huic (id est meo) corpori appropinquet, meum corpus contrectet.“ Quod ad strophae versum attinet, is foedissime depravatus est Turnebi temeritate. Qui quod edidit ἀμπτᾶσα δ' ὡρεὶ, in omnes editiones propagatum, ab antiquiorum librorum auctoritate vehementissime abhorret. Ad horum scripturas paullulum inter se discrepantes nihil propius accedit, quam

τὸ πᾶν δ' ἄφαντος, ἀμπετής, ἄϊστος ὡς,

quam emendationem ab Ahrensio p. 31. praeoccupatam video.

V. 316. πεντηκοστόπαις, quod nunc vulgatur, rationi et analogiae repugnat nec quo se tueatur exemplum habet, quum πεντηκοντόπαις, quod P. praebet, et Prom. 855. legatur et multorum exemplorum similitudine defendatur. Accedit, quod M. πεντηκοντοστόπαις

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

habet, ita ut vulgata scriptura librorum auctoritate non satis munita videatur. Quare ego veram lectionem eam puto, quam codex P. servavit.

De aliis huius libri scripturis difficillimum est iudicium. Huc pertinet v. 679. ἀσφαλίας pro ἀτιμίας, in quo genuinae lectionis vestigium superesse admodum est verisimile; neque ut Wellauerus dicit, scholiastae explicatio docet illud ex glossemate natum esse; potius varietas scripturae scholiastae notatione contineri videtur, ita ut fortasse γρ. (γράφεται) exciderit. Idem suspicor de v. 569, ubi pro κρέων cod. Parisinus et R. κραίνων exhibent, quod est etiam in scholiis. Nam v. 613. quoque eam lectionem, quam scholiasta in aliis libris inveniri testatur, (παχῦναι] γρ. πλατῦναι) hic liber in verborum contextu habet. Unde idem quod supra dixi patet, eum ex diverso fonte derivatum esse. Ἀτιμίας autem illud v. 679. aperte ex proximo vocabulo, ad quod scribentis oculi aberrabant, natum est veramque vocem expulit; id quod etiam v. 489. factum est, ubi πολισσούχων repetitum adeo ineptum est, ut Aeschylo tribui nequeat. Videtur poeta vocabulum ab iisdem litteris incipiens posuisse, quae initii similitudo erroris caussa fuit.

Quum vero plerisque locis codex Regius cum ea familia, qua Med. et Rob. continentur, contra reliquos duos libros consentiat, eius existimationem simul ex illorum iudicatione pendere apparet. Quare iam ea instat quaestio, ut utri harum familiarum maior sit fides atque praestantia exploremus et ostendamus.

Sed quum iam absumptum sit spatium, quod huiusmodi commentationibus concedi solet, reliquam disputationis partem typis describere nunc non licet. Quare hic disserendi fine facto alia edendi opportunitas exspectanda erit. Reliquorum autem capitum haec erunt argumenta, ut quarto de eius familiae, qua Aldina et Guelferbytanus comprehenduntur, fide et indole dicam, quinto codicis Robortelliani correctiones ostendam, sexto de Medicei praestantia moneam; quibus disputationis locis aliquot versuum corruptorum emendationes inserentur. Denique nonnulla exempla tractabo, ubi omnes libri in iisdem vitiis consentiunt.

M.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf